Pretatio est, quia ipsa interim ancilla est, ut expresse habetur *l. Statu liberum 9. ff. de statu liberis*. Observandum tamen maxime est, ne quis fallatur, num libertas relicta sit sub conditione, an sub modo. Quia si sub modo, comparatur statim libertas, si sub conditione autem, minime, donec impleatur conditio. Quia conditio suspendit, & non impleta vitiat actum. Quod secus est in modo, ut dixi lib.3. disp.33.n.2. ubi etiam explicui quando sit modus, & quando sit conditio: ut Lego libertatem ancillæ, dummodo ministret 10. annis, vel solvat 10. aureos, est modus. Quia adjicitur actui perfecto: secus, Jubeo, ut ancilla sit libera, si servierit 10. annis, vel cum servierit, vel si dederit, aut cum dederit 10. aureos: adjicitur enim actui imperfecto, & sic est conditio suspendens libertatem. Ut constat ex differentia ibi tradita. Idque etiam constat ex *l. Thais 41. in prin. ff. de fideicommissis liber.* ubi dicitur legatam libertatem sub hac forma: Cum hæredi meo servieris annos 10. post id tempus comparari.

19 Hinc deducitur, si quis leget ancillæ libertatem sub hac conditione, Si tres pepererit filios: & tertio partu duos aut tres fœtus edat, quando tres, duos ultimo editos esse liberos: & quando duos, ultimum esse liberum. Quod ubi primum tertius in lucem editus est, impleta fuit conditio, materque libera mansit, eo usque ancilla erat: quare fœtus editus post tertium est liber tanquam ex libera ortus; nati autem antea sunt servi, quod mater ancilla esset. Habetur expresse *l. Arethusa 15. & l. seq. ff. de statu hominum*.

20 Secundo deducitur, tradita libertate ancillæ pro tempore certo & præfinito, ut pro 4. annis, fœtum eo tempore, & quocumque alio post illud, editum, esse liberum. Quia libertas illa est perpetua, ut dixi disp. 19. n. 3.

21 Tandem dubitatur, an domino promittente se manumissurum certo tempore servam, promissione ipsi ancillæ facta, & non impleta tempore præfixo, fœtus post id tempus conceptus sit liber, aut saltem teneatur dominus eum manumittere. Ratio dubitandi est quod inter dominum & servum nulla oriatur obligatio, *l. Interpositas 13. in fi. C. de transact.* ibi: *Neque enim dubii juris est, dominos cum servis suis paciscentes, ex placitis teneri, atque obligari non posse*. Ubi *Baldus n. 5.* inde colligit dominum minime teneri fidem servo datam præstare, quia inter illos nulla cadit obligatio. Deinde, quia *reg. In personam, ff. de regulis juris*, sic habet: *In personam servilem nulla cadit obligatio*. Et *Regia 6. t. 11. p. 5.* ibi: *Otro si dezimos, que el señor a su siervo, ni el a su señor, non puedens fazer prometimiento el uno a el otro, de manera que se puedan a premiar por aquella promission. E mager la fiziessen, no valdria la promission*. Quod si dicas cum gl. & multis aliis relatis a *Padilla ea. l. Interpositas, n 34.* excipi, nisi inter dominum & servum de libertate conventio fiat. Hanc exceptionem reprobat *ibi n.35.* cum multis aliis. Atque ita *glos. l. Cum testamentum 8. verb. Non potuerunt, el 1. C. de juris & facti ignor.* ait, pactum inter dominum & servum de libertate danda in futurum non valere. Quod *Bart. ibi n.5. & Alex. d. l. Interpositas, fine*, intelligunt, nisi libertas esset naturaliter debita servo. Cum ergo hoc casu nullo modo sit debita, non valebit promissio. Tandem, quia *l. Nec servus 24. ff. de pecul.* sic dicitur: *Nec servus quicquam debere potest, nec servo potest deberi*.

22 Sed dicendum est, promissionem inter dominum & servum minime valere quoad obligationem civilem, secus quoad naturalem. Et ita caute dixit *l. reg. n. præc. alleg. De manera que se puedan a premiar*. Et expresse habetur, *l. Si id, quod dominus 64. ff. de cond. indebiti*, ibi: *Sed id, quod dominus servo debuit, manumisso solverit, quamvis existimans ei aliqua teneri actione, repetere non poterit. Quia naturale debitum agnovit*. Ubi *gloss. verb. In conditione* ait, obligationem fuisse servo in servitute quæstam. Et *Bart. ibi* sumat eam *leg. Sic dominus obligatur servo naturaliter*. Et *n.2.* ait obligationem naturalem cadere in servum active & passive. Et *Bal. c. Cum contingat num. 30. concl. 2. de jurejur.* explicat, *l. Interpositas, in fi. C. de transact.* quæ decidit obligationem non acquiri servo de civili, secus de naturali. Et eodem modo explicat *Decius reg. In personam, n.1. ff. de reg. juris*, eam regulam idem decidentem. Et *Joan. de Molina in different. inter forum conscientiæ & externum, differ.18.* ait promissum servo a domino deberi in foro conscientiæ. Constat etiam ex *l Non solum 50. §. Si ignorante, ff. de peculio*, ibi *An debitor vel servus domino vel domino servus intelligatur ex causa civili computandum est*. Ubi textus supponit posse esse debitum domini ad servum: & *gl. verb. Ex causa civili*, sic explicat, id est, quæ causa obligaret civiliter unum liberum alteri libero, eadem servum domino, & econtra obligat, licet non teneatur dominus servo civiliter, vel econtra. Et *l Nec servus 42. ff. de peculio*, quæ debitit nec servum debere, nec illi deberi posse, explicat *gl. verb. Debere, de civili debito*. Et constat hic intellectus. Quia servus naturaliter obligatur: ut est textus expressus, *l. Naturaliter. ff. de cond. indebiti, & l. reg. 5. t. 12. p. 5.* Sentit etiam expresse, *Innoc. c. Quia plerique, de immun. Eccl. n 1.* ubi ait restituendum debitum, sive jure naturali, ac civili sit debitum, sive solo naturali, quale est quod debetur servo, & *Ant. ibi n.5.* ubi ait servo posse quempiam naturaliter obligari, cum consensum habeat: atque ita si servus aliquid acquirat, quamvis id domino acquiratur, possitque dominus sibi usurpare, at pacto inito cum eo, ut iis nummis se redimat, id nefas esse propter obligationem naturalem servo quæsitam, ut constat ex *l. Is qui 4. ff. de manumiss. statim in pr.* ubi dicitur promittentem servo libertatem, si suis se nummis redimat, teneri. Et *Abb. ibi n.11.* expresse dicit dominum promittentem aliquid servo, non obligari civiliter, bene tamen naturaliter, & in foro animæ: & ita explicat *d. l. Interpositas*. Tandem idem docent *Molina t.2. de just. tr.2. disp.38. §. Primus est, & Lud. Lop. l.2. de contract. c.40. paulo post pr. §. An autem*, ubi constituunt inter casus, in quibus servo possidere proprium fas est, tunc si dominus cum servo pactum ineat, ut singulis diebus, aut hebdomadibus, mensibus, vel annis, certam summam ei persolvat, reliqua sibi ipsi retenta, unde bene infert *Molina*, teneri tunc dominum stare contractui, nec posse usurpare quæ sibi servus eo modo comparavit. Ex his ergo constat deberi naturaliter, & in foro conscientiæ libertatem ancillæ a domino promissam: at quia tantum est promissio, antequam manumittat, non erit libera serva: ac proinde nec filii eo tempore nati: tenebitur tamen ratione damni emergentis ex fidei violatione donare libertate illos filios. In hoc enim damnum illatum est matri & proli.

DE IMPEDIMENTO
voti solemnis & ordinis.

DISPUTATIO XXV.

Quæ sit differentia essentialis inter votum simplex & solemne professionis: & in quo solemnitas illa consistat?

SUMMARIUM.

Refertur duplex sententia, num. 1. & 2.
In quo consistat solemnitas voti, juxta secundam sententiam, 3.
An in voto simplici sit traditio, juxta eamdem sententiam, 4.
An sit tanti vinculi votum simplex, quanti solemne, juxta eamdem sententiam, 5.
An differant specie, retenta eadem sententia, 6.
Proponitur sententia Auctoris, 7.
Castitas, paupertas, & obedientia sunt essentialiter annexa religioni, 8.
Desideratur ad statum religiosi, ut hæc tria vota aliquo firmentur, 9.
Exigitur quoque ut in religione approbata, nec sat est modus vivendi approbatus. Et an essentia religionis habeatur ex illa Pontificia approbatione, 10.
Duplex est traditio, 11.
Essentia professionis consistit in traditione & acceptatione, est quæ professio contractus ultro citroque obligatorius, 12.
Acceptatio voti simplicis fit immediate a Deo, secus de solemni, 13.
Explicatur ac probatur qualiter traditio sit de voti solemnis essentia: & circumstantiæ adjectæ ab Ecclesia sint conditiones sine quibus non, 14.
Qualiter qui in Societate Jesu simplicia biennii vota emiserunt, sint veri & ex natura rei religiosi: & in illis reperiatur traditio, 15.
Essentia voti solemnis est de jure naturali & divino, at solemnitas, quoad circumstantias, est de jure Ecclesiastico. Et explicatur c. Unicum. de voto, in 6. n. 16.
In votis simplicibus, dempsis Societatis Jesu, non est traditio, licet sint in manu alicujus, 17.
Non tanti vinculi est votum simplex, quanti solemne religionis, 18.
Votum simplex & solemne religionis differunt specie, 19.
Explicatur qualiter in voto solemni sit promissio & traditio, 20.
An promissio solus castitatis in religione approbata sit solemnis, dirimens matrimonium subsequens, 21.
An promissio facta in religione approbata, trium votorum, non obligando se illi religioni, sed religioni in genere, habeat vim voti solemnis dirimentis matrim. Et enodatur c. constitutionem, de reg. in 6. n. 22.
An vota feminarum, & fratrum D. Francisci, & D. Dominici, non in communi viventium, & eremitarum, sint solemnia, & matrimonium dirimant, 23.
Solvuntur argum. & enodatur c. Rursus, qui clerici, vel voventes, 24.

1 Disputationes de voti solemnis & ordinis impedimentis connectimus, quod valde sibi invicem affines sint, & altera ex alterius intelligentia pendeat, & nunc ordinem servabimus. 1. de natura voti solemnis religiosi, & qualiter matr. dirimat, disputabimus, 2 de natura voti solemnis ordinis, & quo pacto per illud dissolvatur matrim. subsequens. 3. de ordinibus minoribus, qualiter cum matr. pugnent, & culpa sit ad illos promoveri, animo transeundi postea ad matr. 4. qualiter liceat conjugatis ad religionem, ordines, episcopatum, cardinalatum, pontificatumve transire. Demum de damnis, quæ ex matrim. pullulant clericis minorum ordinum, aut sacrorum, nempe, de amissione beneficiorum, pensionum, privilegiorum clericalium, excommunicatione, irregularitate. Initium igitur sumendo ab impedimento voti solemnis emissi in professione religionis, disp. præsens est de differentia essentiali inter illud & simplex: inde enim pendet resolutio disp. sequentis, quæ de jure, quo matrimonium dirimat, instituenda est. In hac re tres invenio opiniones.

1 I. Sentent. ait essentiam voti solemnis consistere in benedictione spirituali seu consecratione, per quam professus redditur inhabilis ad opera carnis & sæculi, atque adeo ad matr. contrahendum. Hujus sent. videtur *D Thom. 2.2. q.88. a.7. corpore, & art. 11. corp.* Sed sent. communiter ab omnibus rejicitur. Quod in aliquibus religionibus promissio solemnis professionis absque ea benedictione fiat, ut Soc. Jesu, & in religione D. Dominici, & in aliis. Deinde, quia professio tacita est vera, ac legitimis votis solemnibus tacite emissis constat; cum tamen nulla benedictio adhibeatur. Nec *D. Thom.* ejus est sententiæ: sed solum vult eam benedictionem esse cæremoniam quamdam accidentalem.

2 II. Sentent. ait votum solemne, & simplex ejusdem materiæ minime differre per se, & essentialiter, ex ipsius voti natura, & ratione, nec jure divino, sed solum accidentaliter, & extrinsece, ex sola Ecclesiæ constitutione, decernentis per votum solemne dirimi matr. subsequens, non autem per votum simplex. Ducitur primo, ex *c. unic. de voto, in 6.* ibi, *Voti solemnitas ex sola Ecclesiæ constitutione est inventa*. Nec potest dici id intelligi de solemnitate accidentali, quod Pontifex rogatus quod votum debeat dici solemne ad dirimendum matrimonium, ex eo quod solemnitas voti sit ex sola Ecclesiæ constitutione, deducit duplex solum reperiri votum solemne eum effectum producens. Quasi dicat, quia ex solius Ecclesiæ institutione pendet voti solemnis natura, & Ecclesia solum admittat ut solemne, votum emissum in professione, & ordine, ideo tantum est duplex votum solemne. Quæ ratio omnino corrueret, si textus intelligeretur de solemnitate accidentali. Non enim ex accidentibus res ea definienda erat. Et confir. quia sublato Ecclesiæ statuto, nullum votum esset solemne, & ideo feminæ, quas Beatas vocant, licet voveant, & se tradant superiori, in cujus manibus vovent, non emittunt votum solemne, quod Ecclesia ea vota, tanquam solemnia non approbet: & si Ecclesia statueret, ut quodcumque votum coram tribus testibus, vel alia cæremonia emissum, fieret solemne, esset utique, Tota igitur hæc res ad Ecclesiæ institutum referenda est, nec ex ipsa rei natura pendet. 2. quia *cap. Rursus, qui clerici, vel vovent.* ait Cælestinus Pontifex, votum simplex non minus obligare apud Deum, quam solemne, ubi non intendit, utriusque vinculum esse omnino æquale, sed esse ejusdem ordinis, in quantum uterque traditionem importat. 3. quia ante tempora Cælestini III. *c. Rursus, qui clericis vel vovent.* & Alexand. III. *Insinuante, & c. Meminimus, eod. tit.* non est in Ecclesia audita mentio voti simplicis, & solemnis. Quare *D. August. Psal. 75.* cum nonnullas votorum species distinxerit, non meminit voti simplicis, & solemnis; nec *Hugo de S. Victore serm. 53. de instit. monast. & lib. 2. de Sacram. par. 12.* ubi solum divisit votum in occultum, & publicum. Quod si Theodorus Archiepiscopus Cantuariensis, qui vixit ann. 690. meminit voti simplicis, ut refertur *cap. Si vir. 27. dist.* videtur id additum ab aliquo juris Pontificii Doctore, cum id non habeatur *c. Si quis votum 27. q. 1.* ubi idem caput refertur. Unde signum est, meram Ecclesiæ institutionem id discrimen instituisse. Et confir. quia antiquitus non erat hæc professionis forma, & fuit inventa ab Ecclesia ab eaque robur accipit. 4. quia posset Ecclesiæ auctoritate constitui, ut vota, quæ nunc in religionibus approbatis ut solemnia emittuntur, desinerent esse solemnia, nec matrimonium postea contractum dirimerent: & tamen in eis reperitur eadem traditio. Et si dicas, id provenire, quia Ecclesia non recipit: jam habetur intentum, nimirum, vota solemnia non in sola traditione consistere, sed in ea, quam ut solemnem Ecclesia recipit: ac proinde totam voti solemnis celebritatem sola niti Ecclesiæ auctoritate. 5. quia si quis emittat tria vota substantialia in religione, quam falso existimat approbatam, aut approbata in manibus superioris non legitimi, animum revera habuit se tradendi, & vere se tradidit: at non sunt vota solemnia, nec solverent matrimonium subsequens: ut colligitur ex *c. unic. de voto, in 6. fine*: & notat *Abbas* ab omnibus receptus, *cap. Rursus, ad finem, qui clerici, vel vovent.* eo quod Ecclesiæ auctoritas approbantis, & admittentis desideretur. Et confir. quia cum homo sit dominus propriæ libertatis, nil obstat, quo minus se possit Deo in mancipium per vota tradere: sicut se potest cuilibet homini vendere: ac proinde eam traditionem non esse solemnem, ac sufficientem ad matrimonium diriminendum, non provenit ex ipsa rei natura, sed ex Ecclesiæ constitutione, prohibentis valorem talis traditionis non acceptatæ ab ipsamet Ecclesia. 6. quia cum Deus sit ubique præsens, & votum simplex sit res sibi grata, censetur illud acceptare, tanquam rem sibi traditam, & oblatam, *Regula, Qui tacet, de regulis juris in 6.* ac proinde transit in pactum, ut traditur *rubr. C. de pactis*, sicut in professione accepta superior. Non ergo differentia inter hæc vota consistit, quod in solo solemni sit traditio. Et confir. quia non est cur Deus per se ipsum immediate non acceptet, quando soli Deo promitto: alias non esset peccatum fractio voti simplicis. Et si dicas, acceptare quantum ad obligationem, & religionis virtutem, non tamen quantum ad translationem dominii rei promissæ in ipsum Deum. Quærenda est ratio, cur Deus unum & non aliud usurpet. 7. quia nulla alia differentia reperiri videtur inter votum simplex per modum præsentis emissum, ut Voveo castitatem, per modum futuri, ut Voveo me ingressurum religionem: nisi quod in hoc nulla sit rei traditio, sed promissio tradendi in futurum; in illo autem sit quædam de præsenti traditio, & exhibitio sui corporis ad abstinendum ab omni actu carnali, etiam alias licito. Nulla enim alia differentia apparet. Atque ideo distinctio obligatio in his votis reperitur. Quippe fornicans post votum religionis, in quo in virtute castitas includitur, non peccat adversus votum: secus autem est in fornicante post castitatis votum: cujus alia ratio nequit reddi, nisi voventem religionis ingressum se solum promisisse, at voventem castitatem sententiam tradidisse. Non ergo id interest inter votum solemne, & simplex, quod in illo solo sit traditio. 8. quia ex nullo textu constat Ecclesiam impedire, quin possit homo suum corpus immediate Deo per votum tradere ad perpetuam continentiam servandam: sed tantum definitur *c. unico, de voto in 6.* eam traditionem non esse solemnem, quæ matrimonium postea contractum dirimat. Et confir. quia si Ecclesia eam traditionem irritaret, non maneret voto castitatis astrictus, qui eam voveret animo se tradendi Deo: sicut vendens se sine solemnitate juris impedientis traditionem, nullam contrahit obligationem. Cujus oppositum constat ex *c. Quidam, & c. Placet, de convers. conjug.* ubi conjux professus absque alterius conjugis licentia non ligatur professione solemni, bene tamen ea valet, ut votum castitatis simplex. 9. quia Gregor. XIII. in Bulla concessa Societati Jesu anno 1584 incipienti, *Ascendente Domino*, decidit vota, quæ post biennium emittuntur a religiosis Societatis Jesu, esse simplicia, & tamen in eis esse veram traditionem, & acceptationem Ecclesiæ, ibi: *Statuimus, atque decernimus tria vota hujusmodi, esse simplicia, ex hujus sedis institutione, ac nostra etiam declaratione, & confirmatione, esse vere substantialia religionis vota, ac in dicta Societate, tanquam in religione approbata per sedem eamdem admissa fuisse, & esse, ac per nos admissa*. Ac proinde ibidem decernit discedentem post ea vota, subdi pœnis apostaliæ, & excommunicationis. 10. quia cum de voti natura sit, promissionem factam Deo esse: ut ex ejus definitione constat: non videtur esse traditio in voto solemni, tanquam de ejus essentia: alias non esset essentialiter promissio, ut subinde nec votum. Cum promissio & traditio sint rationes contrariæ, & tradito toto homine per votum solemne, nil superest, quod in posterum promittatur. Et confir. quia votum emissum in ordine sacro castitatis servandæ, est proinde solemnem, ac emissum in religionis professione: ac æquantur *c. unico, de voto in 6.* & tamen non reperitur ibi traditio alia specialis, quam in voto castitatis simplici (ut probabo disp. 27. n. 17) Undecimo, quia traditio habet rationem generis, & materiæ in voto solemni: at circumstantiæ ab Ecclesia institutæ rationem differentiæ, & formæ: per illas enim complerur in esse solemnis: sed res non a genere & materia, sed a differentia, & forma habet esse tale: ut homo non ab animali & materia, sed a rationali, & forma habet esse hominis. Non ergo differentia specifica, & essentialis collocanda est inter votum simplex, & solemne, in traditione, sed in illo statuto Ecclesiæ. Tandem, quia jusjurandum solemne a simplici non differt, nisi in hoc, quod in illo formula solemnis jure præscripta reperiatur, qua hoc caret: & eodem modo secernuntur testamentum solemne, & non solemne: atque ideo in iis ea solemnis formula ac celebritas non est ex jure naturali, & divino, sed ex jure scripto: Sic igitur votum ex eo tantum solemne dicetur, quod in eo ceremonia, & formula jure præscripta adhibeatur, nec ea solemnitas ex alio jure erit, quam Ecclesiastico. Et ideo hanc sententiam tuentur *Sotus 4. d. 38. p unic. & ibi Palud. q. 4. art. 4. concl. 11. nu. 49. Cajet. 2. 2. q. 88. a. 7. dub. 1. Abulens. cap. 30. Num. q. 109. col. 4. vers. Respondendum est ut supra, Michael Medina de sacrorum hominum continentia, lib. 4. controv. 7. cap. 22. & multis seqq. Guillelmus Borrilong. 4. d. 38. q. unic. art. 2. concl. 1. & ibi Palacios disp. 2. concl. 2. 3. & 4. Ovand. ibi, q. unic. propos. 16. Azor. lib. 12 instit. moralium c. 6. q. 1.* & ejusdem sententiæ videntur omnes, quos disputatione seq. num. 2. referam, quia asserunt solo jure Ecclesiastico dirimi matrimonium per religionis professionem. Et hanc sententiam dicit probabilem *Valentia 2. 2. disp. 6. q. 6. punct. 5. col. 3. §. Sed quod attinet*.

Hinc infert hæc sententia, totam voti solemnis rationem esse juris canonici constitutione inductam: & proinde in eo solo sitam esse, quod jus canonicum instituit. Et probatur ex *c. un. de voto in 6.* sic docent *Azor. dict. cap. 6. in quæst. 2.* 3

2. Infert omnia quæ in voto solemni intrinsece clauduntur, in quantum est actus voluntatis transferentis dominium rei promissæ in Deum, esse prorsus æqualia in voto simplici, quod in præsens confertur, quale est votum simplex paupertatis, castitatis, & obedientiæ: atque adeo traditionem non esse magis in uno, quam in alio. Quod probant aliquot ex argumentis num. 2. adductis. Et ita docent *Sotus 4. d. 38. q. unic. & ibi Ovand. q. unic. propos. 16. Medina lib. 4. de sac. hominum continentia, contr. 7. cap. 22. ad finem, Azor d. c. 6. q. 7.* 4

3. Infert, votum simplex, quo res præsens vovetur, ex natura sua, & per se, tanti esse vinculi, quanti solemne, sed Ecclesiæ solius constitutione minorem vim habere. Quia æquadifferunt autem, quod Ecclesia per solum votum solemne dirimi matr. subsequens statuerit. Secus quando votum est promissio rei futuræ: minoris enim tunc est per se vinculi, voto solemni, in quo est vera traditio. Sic *Azor d. c. 6. q. 7.* 5

Demum infert, votum simplex rei præsentis, & solemne ejus- 6

ejusdem rei, non differre specie, sed sola extrinseca, & accidentali differentia. Quoniam extrinseca Ecclesiæ sola constitutione secernuntur. Ecclesia autem rei naturam non mutat, sed vim & robur adjungit. Sic *Cajet.* 2. 2. *q.* 89. *art* 7. *in fine*, *Metina de sacrorum hominum contin. lib.* 4. *controp.* 8. *c.* 38. §. *Hinc sam solemne*, & §. *seq. Azor d. c.* 6. *q.* 8. Quod idem tenet *Petr. de Ledes.* (quamvis non sit illius secundæ sententiæ) *de matr. q.* 53. *art.* 2. *dub. unic. in solutione ad* 4. & videtur tenere *Valentia* 2. 2. *disp.* 6. *q.* 6. *punct.* 5. *fin.*

7 III. Sententia ait, votum solemne religiosis consistere essentialiter traditione actuali dominii sui ipsius in manus Dei, & manus eorum qui vicem Dei tenent: ac in eo distare a voto simplici. Quam sententiam ex parte docuisse videntur *D. Thom.* 4. *d.* 38. *q.* 2. *art.* 2. *quæstiun.* 3. *corpor.* & *ad* 1. *art.* 3. *quæstiun.* 2. *corp.* & *quæst.* 3. *corpor.* & *ad* 3. *D. Bonav. eadem dist. art.* 2. *qu.* 1. *Durandus ibi*, *q.* 1. *nu.* 7. & *in solut. ad* 1. *qu.* 2. *num.* 8, *Ricardus ibi*, *art.* 7. *qu.* 2. *corpor. Mayronis qu. unico*, *particul.* 4. *Capreolus* 4. *d.* 33. *qu. unic. art.* 1. *concl.* 2. & *art.* 3. *in solut. ad* 1. *Scoti contra* 2. *concl. Deza* 4. *d.* 33. *q. un art.* 3. *notab.* 4. *Carthus* 4. *d.* 3. *p. q.* 2. *Fortun. Garcias cap.* 1. *de pactis*, *num.* 13. *vers. Quid igitur dicendum*, *Turrecr. v. Presbyteris*, *num.* 1. & 2. *d.* 27. & *c.* 1. 27. *q.* 1. *art.* 2. *n.* 4. *corpor.* & *in solut. ad* 3. & *art.* 3. *nu.* 7. *in solut. ad* 1. *Tabien. v. Dispensatio*, *q.* 7. *nu.* 8. *in solut. ad* 1. & *v. Impedimentum*, *impediment.* 2. *num.* 5. *Sotus lib.* 7. *de justit. qu.* 2. *art.* 5. *col.* 6. *vers. Igitur si opinio*, & *vers. Sed ais*, & 4 *d.* 38. *q.* 2. *ar.* 1. *col.* 3. *vers. Ex omnibus*, & *art.* 2. *in probatione* 1. *concl.* & *in solut. ad* 1. *Petrus de Soto loci.* 5. *de matrim. ad fin. Covar.* 4. *decretal.* 2. *p. c.* 7. §. 4. *n.* 7. *Ledes.* 2. *p.* 4. *q.* 55. *art.* 1. *statim in princ. Alexand. Carrer. lib* 3. *de sponsal. cap.* 6. *ad fin. Celaja* 4. *d.* 57. *q.* 4. & *d.* 38. *qu. post* 7. *argumentum*, §. *Ulterius est notandum*, *Viguerius lib. instit. cap.* 16. §. 7. *vers.* 9. *impediment.* 3. *Stuniea de voto q.* 6. *n.* 99. *Matienzo lib.* 5 *recop. tit.* 1. *rubr. gl.* 1. *nu.* 7. *Vega in summ. casuum*, *cap.* 49. *statim in princip. Enriquez lib.* 12. *de matrim. c.* 5. *n.* 3. & 4. *junctis comment. lit.* R. *Barbosa rubrica ff. soluto matrim.* 2. *part. a nu.* 95. *usque ad* 100. *Aragon.* 2. 2. *q* 88. *art.* 7. *Ugolin. de sacram.* ubi de matrim. *c.* 19 *nu.* 4. *Valentia* 2. 2. *disp.* 6. *qu.* 6. *punct.* 2. *col.* 3. §. *Sed quod attinet*, & 4. *par. disp.* 20. *de matr. q.* 5. *pun.* 3. *in impedimento voti*, *Vasaldus candel. sacram.* 1. *part.* ubi de matrim. *nu.* 129. *Petrus de Ledes. de matr. q.* 53. *art.* 2. *dub. unic. concl. un. post* 6. *probationem*: & *in solutionem ad* 5. & 6. *Bart. de Ledes. de matrim. dub.* 32. *concl. un.* & *dub.* 33. *statim in princip. Lud. Lop* 2. *par. instruct. de matrim. c.* 48. *fol.* 5. §. *Circa prædictam doctrinam*, & *in solut. ad* 1. *Graff.* 2. *part. decisionum lib.* 2. *cap.* 22. *n.* 40. *Vega* 2. *to. summæ*, *c.* 57. *casf.* 21. Et hanc quoque differentiam inter votum simplex, & solemne, agnovere quidam alii antiquiores, quamvis pure solo humano dirimi matrimonium subsequens per professionem afferant, hi sunt *Joan. Andr. cap. unic. de voto*, *in* 6. *nu.* 1. & *ibi Archid. n.* 1. *Anch. notab.* 3 *Domin. n.* 10. *idem Archid. cap. fin. nu.* 3. *d.* 27. *Card. clem. unic. de consang. nu.* 19. *q.* 24. *Altisiod. lib.* 3. *suæ summ. tract.* 28. *cap.* 2. *qu.* 3. *quæ incipit*, *De simplici voto*, *vers. Quod votum solemne*, *Brunelius de sponsalibus*, *concl.* 31. *n.* 2. Quamvis autem hæc sententia multis Authorum testimoniis corroborata sit, adeo tamen urgent, & auctoritas Pontificum, & rationes pro secunda sententia allatæ, ut ab ea minime recedendum putem, sed ea omnino tenenda est tanquam probabilior, & decretis Pontificum congruentior.

8 Sed ut videantur fundamenta hujus tertiæ sententiæ, & corollaria, quæ ex illis inferunt ejus defensores, ut vel sic facilius, & melius impugnetur, oportet aliqua præmittere. 1. juxta hanc sentent. præmittendum est, castitatem, paupertatem, & obedientiam esse annexam essentialiter statui religioso, ita ut sine illis consistere nequeat. Qui religiosi status est, ad perfectionem anhelare, eique adipiscendæ nervis omnibus incumbere; ad eam autem adipiscendam desideratur animi avul. fio ab iis omnibus, quæ non modico obstaculo sunt, ne religiosus expedite in Deum feratur: qualia sunt, venereorum usus, tum ex vehementi delectatione, qua animum ad terrena rapiunt: tum etiam ex cura familiæ filiisque providendi, quæ variis curis solicitudinibusque animum obruit; cupiditas honorum temporalium, ac propria voluntas. Quæ tria votis castitatis, paupertatis, & obedientiæ coercentur. Præterea, quia per professionem, puntium prorsus remittit sæculo religiosus, moriturque mundo, & ad vitam spiritualem se transfert omnino, mancipans se Dei obsequio, quod nequit simul stare cum matr. in quo incumbit necessitas providendi uxori, & familiæ. Quare *Apost.* 1. *ad Corint.* 7. ait: *Qui cum uxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori*, & *divisus est*. Unde nomen Monachi ab unitate sumitur, per oppositum ad divisionem prædictam. Quod clare docetur *c.* 16. *q.* 1. ibi: *Placuit omnibus residentibus in sancta Nicæna Synodo, ut Monachorum conversatio & vita, secundum etymologiam nominis, ab omnibus discreper. Monachus enim Græce, Latine singularis dicitur.* Et melius *c. Placuit*, *el* 2. *eadem qu. quod est ex Eugenio Pontifice*, ubi Monachis omnino interdicitur negotiis etiam spiritualibus extra claustrum vacare. Et redditur ratio, ibi: *Quod mundo mortuus est, Deo autem vivit.* Atque ita natura hujus status petit, ut nullo sibi reservato dominio transferatur quispiam in Dei potestatem, cujus obsequio omnino per eum statum se dedicat.

2. Præmittendam est, desiderari quoque ad religiosum statum essentialiter, ut hæc tria vota aliquo firmentur, quod docet *D. Thom.* 2. 2. *q.* 186. *art.* 3. quem universi sequuntur. Et ratio est, quod status petat immobilitatem, & obligationem operis ad illum statum pertinentis, solemnitate aliqua firmatam, (ut probat *D. Thom.* 2. 2. *q.* 183. *art.* 1.) ut constat in statu conjugatorum & Episcoporum. Sicut enim inter homines, ut quispiam servi aut liberi statum adipiscatur, desideratur obligatio aliqua, aut absolutio: non enim servus quispiam efficitur, aut liber, quod serviat, aut servire desinat, quia & liberi aliquando serviunt, & servi fugitivi servire desinunt. Sic in spiritualibus ad statum desideratur immobilitas & obligatio aliqua. 9

3 Præmittendum est, requiri, ut tria prædicta vota constituant verum religiosum, ea emitti in religione approbata pro tali a Sede Apostolica, nec satis esse, ut modus vivendi approbatus sit, nisi tanquam vera religio approbetur, quod bene docent *gl. elem. Cum ex eo*, *verb. Tertio*, *de sent. excomm. Abbas rubr. de regul. nu.* 1. *Angelus*, *verb. Religiosus*, *nu.* 1. *Sylvest. Religio* 1. *qu.* 1. *Armilla verb. Religio nu.* 4. *Navarr. in antiqua editione*, *cap. Non dicatis* 12. *q.* 1. *n.* 13. 14. *in nova vero comment.* 1. *de regular. quod est super*, *capit. Cui portio* 12. *q.* 1. *n.* 18. *corol.* 23. Hæc autem Pontificis approbatio non est institutio religionis, nec de ejus essentia, sed exigitur ut conditio, sine qua non, quatenus integrum est Pontifici impedire, ne hæc vel illa tanquam vera religio habeatur: & exigere conditiones in professione petitas, quo vota sint solemnia, quod ex eo constat: quia essentia religionum in Evangelio fundamentum habet: atque adeo ex hac parte non indigent religiones Pontificis approbatione. Quare SS. Antonius, Basilius, Augustinus, Benedictus, qui fuerunt auctores religionum, nullam Pontificiam approbationem requisiere: nullibi enim legitur eam esse quæsitam. Quia nondum erat jus Ecclesiasticum id præcipiens. Postea vero prohibita est novæ religionis institutio absque Pontificis approbatione, *cap fin. de relig. domib.* & *c. un. eodem tit. in* 6. Et ita docent *Bellar. lib.* 2. *de Monachis*, *cap.* 4. 10

4. Præmittunt defensores aliqui hujus tertiæ sent. duplicem esse traditionem, quandam perfectissimam & solemnem, quæ tradentem semetipsum privat totali corporis dominio, & ex consequenti per se & ex ipsa rei natura inhabilem reddit ad transferendum dominium sui in alium. Alteram autem esse non perfectissimam, neque solemnem, quæ nimirum reddit personam subjectam, ac mancipatam illi, cui traditur: at non privat tradentem omnino dominio, nec incapacem efficit ex vi illius traditionis, quin valide, peccando tamen, transmittat sui dominium in alium. Et hujusmodi (inquiunt) est traditio, qua religiosi Soc. Jesu finito probationis biennio tradunt se Soc. per tria vota simplicia. Sunt enim capaces dominii acquirendi, ac per se & ex natura rei contrahendi valide matrim. nisi obstaret nova Greg. XIII. constitutio, quæ illud irritavit. Juxta hanc tertiam sent. votum simplex & solemne specie differunt secundum diversitatem traditionum supra explicatam. 11

5. Supponendum est, id quod dicitur essentiam voti solemnis consistere in traditione, non ita accipiendum esse, ut constituatur hæc traditio in ipso solo voventis actu, quasi ille actus sit ex sola sui ratione, intrinsece & essentialiter, actualis donatio, sive translatio dominii sui ipsius: ad differentiam actus, quo emittitur votum simplex. Quia si solum actus attendamus, quo quis vovet solemniter, nil reperiemus essentialiter in illo, quod non reperiatur in actu voti simplicis rei præsentis, ut quo vovetur castitas. Sicut enim vovens solemniter, obstringit Deo totam suam personam, & totam suam operandi facultatem; ad castitatem servandam; ita etiam vovens simpliciter. Sed consistit essentia voti solemnis in traditione facta per ipsum voventem, & a Deo acceptata. Itaque ad plenam voti solemnis rationem requiritur essentialiter traditio ex parte voventis, & acceptatio ex parte Dei. Constat, quia matrimonium carnale non perficitur sola traditione alterius conjugis, sed essentialiter postulat acceptationem alterius, cum sit contractus mutuus. Ergo similiter matrimonium perfectum spirituale, quod professione religiosis initur, utrumque essentialiter desiderat. Et confir. quoniam professio non est contractus gratuitus, instar voti simplicis, sed est contractus onerosus, ultro citroque obligatorius, quo professus fidem suam astringit Deo, & obligatur religioni, & religio ipsa Dei nomine obligatur religioso, ad retinendum eum, & alendum, & tractandum secundum religionis institutum, ut bene docent *Navar. lib.* 3. *cons. tit. de irregular. in priori editione*, *cons.* 5. *n.* 1. *in posteriori*, *cons.* 26. *nu.* 1. *Azor lib.* 12. *inst. moral. c.* 4. *q.* 5 *fin.* Deinde, quia nec traditio nec donatio perfecta esse valent, aut transferre dominium a donante in donatarium, sola donantis traditione, sed donatarii quoque acceptatio desideratur, ut late probavi lib. 1. disp. 6. n 2. & seq. Sic explicant hanc sententiam *Sotus lib.* 7. *de justit. q.* 2. *art.* 5. *col.* 6. *vers. Igitur si opinio*, & *vers. Sed ait*, *Toledo lib.* 4. *summ. c.* 18. *n.* 1. *Valentia* 2. 2. *disp.* 6. *q.* 9. *pun.* 5. *col.* 4. & *seq. Aragon.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 7. & nemo negat.

Hæc autem acceptatio, per quam transfertur dominium in voto solemni, non fit immediate a Deo, sed ex Dei commissione per ministros ab Ecclesia ad id deputatos: atque ita cum votum simplex soli Deo fiat, non invenitur in eo perfecta ratio traditionis, per quam se dominio sui abdicet vovens, 12 13

hanc

hanc autem acceptationem non fieri immediate a Deo, quamvis ubique præsens sit, sic explicant *Ripa rubr. ff. de verbor. oblig. n.* 21. & *ibi Jacobus Niger. n.* 78. *ad fin. Barb. rubr. ff. solut. matr.* 2. *p. n.* 93. quod consensus & acceptatio sit ex diversis animi motibus, duorum idem sensus, *l.* 1. *ff. de pactis*: in Deum autem nullum accidens, nullusque animi motus cadere potest. Sed hic explicandi modus minime placet. Quia complacentia, gaudium de bono opere, acceptatio, displicentia de peccatis in Deum cadunt, absque ipsius mutatione & accidenti. Quare legitima ratio est, cur ad votum simplex acceptandum solus Deus concurrat, non autem ad solemne. Quoniam est valde dissimilis ratio in acceptanda promissione, & acceptanda traditione: nam acceptatio promissionis eo solum ex ipsa rei natura pertinet, ut promittens maneat astrictus ad standum promissis, retenta potestate & cura gubernandi rem promissam, ejusque dominium, penes ipsummet voventem. At acceptatio traditionis perfectæ cum acquisitione possessionis & dominii, ordinatur ex natura rei ad usum rei traditæ & acquisitæ, ejusque gubernationem, frustra enim est dominium sine usu. Et hinc est Deum nunquam se solo admittere traditionem totalem alicujus rei sibi factam, nec usurpare dominium peculiare illius, ultra id, quod illi competit tamquam causæ universali, nisi mediis prælatis. Non enim vult uti immediate, & tanquam causa particularis, re aliqua, & eam gubernare. Quod explicatur exemplo: nam ideo non admittitur peculiare agri dominium, per donationem Deo factam, nullo ejus nomine acceptanti. Quia Deus de lege ordinaria nequit uti nec frui agro illo, ut causa particularis, nisi medio aliquo homine. Adde quia esto Deus acceptaret ceteras donationes sibi factas, at noluit in hac re gravissima se ipso immediata acceptare, non intervenienti auctoritate Ecclesiæ leges præscribentis, ut ea foret legitima, quod sit status perpetuus, ac valde difficilis; ac propterea magnam deliberationem petat. Atque ita *c. un. de voto in* 6. definitum est hanc acceptationem non esse legitimam, nisi in religione per sedem Apostolicam approbata. Tandem, quia cum perfecte dare & acceptare, constituant humanum contractum, oportet adesse acceptantem humano more, licut adest donans, ut perfectus & irrevocabilis contractus humanus ineatur. At Deus præsens est omnibus rebus tanquam causa universalis, non tamen tamquam causa particularis more humano acceptans. Et hinc est, ut promissio simplex facta Deo non transeat perfecte in pactum, ut transit facta homini. Hanc enim violare juxta receptiorem sententiam est injustitia: secus in voto contingit, cujus violatio soli religioni adversatur. Oportet igitur ad perfectam acceptationem, adesse personam visibilem, quæ vices Dei gerat, & quasi ipsius procurator sit, habens ab ipso potestatem acceptandi, ipsius nomine & vice. Cum autem Pontifex sit, qui vices Dei in terra gerit, ejus erit potestatem inferioribus concedere ad acceptandum nomine Dei, & leges præscribere, quibus servatis, & non alias acceptatio legitima sit, ac dominii translatio in Deum sequatur: ut disponere circa ætatem tradentis se, tempus novitiatus, cæremonias in professione servandas. Ratio autem cur non cuilibet committatur hæc potestas acceptandi, ea est, quod cum tradere hominem voluntatem suam, seque in perpetuum Dei mancipium alienare, sublata sibi penitus facultate de proprio corpore disponendi, sit res ardua, maximique momenti, fieri non debet sine magno judicio & examine: & ideo non cuilibet committenda est, nec quocumque modo, nec in quacumque ætate, sed in religione approbata, acceptante superiore illius, transactoque novitiatus anno, concurrentibusque ceteris per leges Ecclesiæ petitis. 14

His ergo præmissis, sent. tertia, nu. 7. proposita, quam rejicimus, ait essentiam voti solemnis consistere in traditione ipsius voventis; & acceptione Dei per ministros ab Ecclesia ad id destinatos: & quamvis necesse sit adhiberi quoque circumstantias ab Ecclesia præscriptas: at diverso modo concurrunt, quia natura & essentia voti solemnis consistit in traditione illa sic acceptata, per quam dominium voventis perfecte transfertur in Deum, ita ut jam sit dominus ejus, non solum sicut causa universalis, quale ceterarum rerum dominium habet, sed comparet speciale dominium hujus personæ, quod ipsa antea habebat in se, tanquam peculiaris persona, & domina suorum operum; ac proinde reddatur incapax per se, & ex natura rei, transferendi dominium in alium. Circumstantiæ autem per Ecclesiam præceptæ, ut religiosus ac valida sit acceptatio, sunt conditiones sine quibus essentia voti solemnis non consisteret. Sicut essentia matrimonii consistit in traditione corporis unius conjugis per alterum acceptata: conditiones autem, quas Ecclesia postulat, ut valida sit ea traditio: ut fieri coram Parocho, & testibus, in tali ætate, ne contrahentes sint consanguinitate aut affinitate conjuncti, & ceteræ, sunt conditiones sine quibus non consisteret matrimonium. Quare sicut sponsalia differunt a matrimonio, ita votum simplex, verbi gratia, castitatis a solemni ejusdem. Sicut enim sponsalia consistunt, sola promissione, retento dominio, ac facultate valide disponendi, ac proinde valet matrim. initum spretis illis sponsalibus, quamvis peccetur: at matrimonium consistit in perfecta traditione, & acceptatione, per quam plene transfertur dominium, & tollitur libertas valide de propria persona disponendi. Ita votum simplex consistit in promissione, retento dominio penes voventem, & facultate valide disponendi contra votum: at solemne in perfecta traditione, & dominii, ac facultatis libere valde disponendi, translatione. Et hanc sentent. sustinent Doctores, n. 7. allegati. Et specialiter ita explicant eam *Valentia* 2. 2. *disp.* 6. *qu.* 6. *punct.* 5. *col.* 4. & *seq. Aragon.* 2. 2. *qu.* 88. *art.* 7. *Enriquez lib.* 12. *de matrim. cap.* 5. *nu.* 3. & 4. *junct. comment. lit.* R. Et probatur hæc sentent. 1. quia contraria sentent. relata n. 2. dedecet excellentiam professionis religionis, quæ tanta est, ut teste *D. Thom.* 2. 2. *qu.* 189. *art.* 3. *ad* 3. per illam omnia peccata quoad pœnam deleantur. Quod idem asserunt *D. Bernard. in lib. de dispensat.* & *præcepp.* & *D. Anselm. lib. de similitud. ad finem*, Quare *D. Hieron. Epist.* 25. *ad Paulum*, sentit statum religionis esse quasi secundum baptismum. Quæ creditu difficilia sunt, constituta professionis natura in extrinseco Ecclesiæ statuto, & non potius in perfecta traditione, & omnimoda sui ipsius dominii in Deum translatione. 2. quia hæc sententia consonat testimoniis sanctorum passim appellantium professionem religionis, mortem spiritualem quod n. 8. probavimus. Non autem esset perfecta mors, nisi consisteret in renuntiatione omnimoda dominii propriæ voluntatis, corporis, & rerum omnium. 3. quia sicut homo se vendens potest se dominio abdicare, & in emptore transferre: ita possibilis est in Ecclesia status, in quo non solum promittatur aliquid faciendum, vel omittendum, ob Dei honorem, sed etiam totum dominium personæ transferatur in Deum, constituendo se ipsius mancipium, ita ut jam Deus sit Dominus ejus tanquam causa particularis, quod genus colendi Deum est multo perfectius mera promissione. Ergo reperitur in statu religioso, quo nullus alius perfectior reperiri potest, quoad officium perficiendi seipsum, secluso officio perficiendi alios. Tandem, quia Gregor XIII. in Bulla quæ incipit, *Ascendente Domino*, appellat vota biennii Societ. Jesu simplicia, & tamen addit statutum, quo sic voventes reddit inhabiles ad matrim. non ergo votum solemne differt a simplici, solo statuto annexo per Ecclesiam voto solemni, quo sic vovens redditur matrimonii incapax. Ex his ergo constat votum solemne in perfecta traditione consistere, quæ perfectio attenditur in tribus. 1. in objecto, quia circa perfectissima objecta est votum solemne, nempe, circa castitatem, paupertatem, & obedientiam. 2. in perpetuitate, & independentia ab omni eventu. 3. in perpetua incapacitate ex natura rei cujuscumque dominii, & facultatis transferendi in alium. Et hæc ultima perfectio nulli voto simplici est communicabilis.

Quod si ex hac sentent. inferat quispiam non esse veros religiosos, qui in Societ. Jesu vota simplicia post novitiatus biennium emisere, quod olim sensit *Navar. cap. Non dicatis*, *n.* 15. 12. *qu.* 1. Et videntur sentire DD. asserentes vota solemnia esse de religionis essentia. Hi sunt *Cajet.* 2. 2. *qu.* 188. *art.* 1. *circa solut. ad* 4. *Angel. verb. Religiosus*, *init. Sylvest. Religio*, 1. *in princip. Armilla verb. Religio*, *n.* 1. & *ibi Tabiena initio*, *Sotus lib.* 7. *de justit. qu.* 5. *art.* 1. *conclus.* 8. Et prob. quia in iis votis non est traditio perfectissima, privans dominio sic voventes, ac illud in Deum transferens, ut dixi, n. 11. sed solo Ecclesiæ statuto redduntur inhabiles ad matrimonium. Sed Doctores hujus sentent. defendunt eos vere, proprie, & simpliciter esse religiosos. Quod definivit Gregor. XIII. in Bulla incipienti. *Ascendente Domino*. Qua visa recantavit palinodiam idem *Navar. in noviori edit. comment.* 1. *de regul. n.* 19. *coroll.* 26. Et constat, quia de essentia status religiosi non sunt vota solemnia, sed esse certam vitæ conditionem, qua vivitur in paupertate, castitate, & obedientia, voto firmatis, cum quadam immobilitate, & externa cæremonia, per quam religiosus pareat Ecclesiæ, sub vivendi statuto, approbato tanquam vere religioso per sedem Apostolicam: quod reperitur in illis votis. 2. quia per ea vota fit traditio, quæ vere reddit personam subjectam, ac mancipatam arbitrio, & potestati superioris: ita ut minime in posterum integrum ei sit, absque apostasiæ labe ab eo instituto recedere: & vota illa acceptantur a superiore nomine Dei, ex facultate Sedis Apostolicæ. Nec obstat posse hos a Societ. dimitti, & sic dimissos manere liberos a votis, quod ad status immobilitatem, sufficiat ipsos jus non habere recedendi propria auctoritate, ut constat in triplici statuum genere, qui apud omnes vere, & proprie status dicuntur, nimirum, Episcopi, religiosi professi, & servi: qui omnes in vero, & perfecto statu immobili constituti sunt: quod propria sponte ab eo resilire nequeant, quamvis auctoritate aliena avocari possunt: nempe Episcopus & professus ex summi Pontificis licentia, interveniente justa causa, vel in delicti pœnam, & servus ex Domini voluntate. Nec obstat etiam doctrina auctorum relata asserentium naturam religionis petere, ut vota sint solemnia. Quia respondetur cum *Valentia* 4. *par. disp.* 10. *qu.* 5. *de matrim. punct.* 3. ubi de impedim. voti, & *Enriquez lib.* 12. *de matrim. cap.* 5. *nu.* 3. *jundo comment. lit.* N. & *n.* 6. id quidem desiderari ad summam, ac perfectissimam status religiosi dignitatem, in quo status sunt professi Soc. Jesu: secus tamen ad veram, propriam, & perfectam religiosi status rationem, in qua sunt alii e Societ. solis votis simplicibus astricti. Sicut omnes ordines sacri sunt vere, & proprie sacramenta, licet non attingant perfectionem essentialem ordinis sacerdotalis. Ita etiam sedes Apostol. diversos religionis gradus a Christo institutos approbavit, nimirum, perfectissimum cum votis solemnibus, & non eam perfectionem attingentem attamen verum, proprium, & perfectum, cum 15

votis

votis simplicibus, in quibus etiam est traditio. Adde, antiquos DD. propterea dixisse, ad naturam religionis requiri solemnitatem, ut significarent traditionem necessariam, quæ jure antiquo non erat sine votorum solemnitate, at vero post confirmationem religionis Soc. Jesu sine vororum solemnitate est vera professiones traditio, per quam Deo mancipatur, ac proinde acquirit verum statum religionis. Quare bene concludit *Enriq. to. n. 3. in comment. lit. N.* hunc statum religionis cum præditis votis simplicibus esse ex divina Christi institutione. Sed tantum dices non fieri posse in iis votis traditionem reperiri: cum num. præced. dixerimus cum communi DD. sententia in voto simplici solam promissionem reperiri, & in hoc differre a solemni, in quo est traditio. Quia respondeo cum *Valentia proxime cit.* id esse verum de voto simplici abstracte, & præcise considerato, secundum generalem rationem voti simplicis, omnibus votis simplicibus communem: at vota simplicia Soc. Jesu continent etiam traditionem quamdam, ut nu. 11. explicuimus, non præcise ut simplicia sunt, sed ut talia simplicia. Ex quibus omnibus constat eos Soc. Jesu votis prædictis simplicibus ligatos religiosos, non esse tales ex Apostolico privilegio, sed vere, & ex rei natura ac Christi institutione. Quia juxta dicta verus religionis status iis votis simplicibus est contentus.

16 Hinc 1. auctores hujus sent. inferunt adversus 1. corollarium secundæ sent. num. 3. relatum, essentiam voti solemnis esse de jure naturali, & divino: circumstantias autem, quæ accidentales sunt, & conditiones sine quibus non acceptatur ab Ecclesia votum solemne, esse de jure Ecclesiastico. Sicut essentia matr. est perfecte, & integre, ex jure naturali, & divino: quamvis conditiones ab Ecclesia petitæ, sine quibus consistere nequit, sint de jure Ecclesiast. Et hinc solvuntur pleraque ex argumentis secundæ sent. solum enim probant non consistere essentiam voti solemnis in nuda traditione, sed desiderari quoque acceptationem Ecclesiæ. Quod nos nu. 12. fassi sumus; & insuper probant esse necessarias circumstantias ab Ecclesia petitas: quod verum est, non tanquam partem essentiæ, sed tanquam conditiones sine quibus Deus non acceptat traditionem, nec Ecclesia ejus nomine. Id tamen non concludit essentiam voti solemnis non consistere in traditione, & haberi ex jure naturali divino, sed esse ex mera Ecclesiæ institutione. Quia idem prorsus reperitur in matr. (ut partim hic, partim nu. 12. probavi) cum tamen ejus perfectam essentiam jure naturali divino consistere nemo in dubium vertat. Eodem modo venit intelligendum *c. un. de voto in 6.* dum decernit solemnitatem voti esse ex solo jure Ecclesiastico inventam: non enim loquitur de solemnitate essentiali, sed accidentali, & quæ est conditio sine qua non acceptat Deus votum. Et sic optima est ratio in eo textu reddita, nimirum, cum solemnitas voti sit ex solo jure Ecclesiastico: id est, cum nullum votum possit esse solemne, & habere effectum dirimendi matr. subsequens, nisi solum quod Ecclesia ut tale acceptat: servatis circumstantiis per ipsam postulatis, & sola ut talia acceptet vota in professione religionis, & ordine sacro emissa, inde est, ut nullum aliud sit sufficiens ad irritandum matrim. subsequens. Sicut idem posset dici de matrim. nimirum, cum nullum sit legitimum nisi acceptatum ab altero conjuge, servatis circumstantiis ab Ecclesia ad ejus valorem præscriptis; nullum aliud matrim. dirimit post illud contractum. Et ita hoc corollarium videtur clare docere *D. Th. d. 38. q. 1. art. 2. q. 3. corp.* ubi ait votum solemnizari per traditionem factam in manu prælati regularis recipientis, servatis aliis circumstantiis, quæ secundum jura determinantur. Et docent expresse *Deca 4. d. 33. qu. un. a. 3. notab. 4. Victoria relect. de potest. Papæ, nu. 1. in solut. ad 1. Sotus lib. 7. de justit. q. 2. art. 5. col. 6. vers. Sed ais, & col. 8. vers. Discernite, & 4. d. 38. q. 2. art. 1. col. 4. vers. Quod ergo, & art. 2. in solut. ad 1. Petr. de Soto lect. 5. de matrim. §. Jam de voto. Covar. 4. decret. 2. p. t. 7. §. 4. num. 8. Matien. lib. 5. recop. tit. 1. rubr. gl. 1. nu. 70. Aragon. 2. 2. qu. 88. art. 7. Valentia 2. 2. disp. 6. q. 6. punct. 5. col. 4. & seq. Enriq. lib. 12. de matrim. c. 5. n. 6. Petr. de Ledesf. de matr. q. 53. art. 2. dub. unic. in solut. ad 1. Barth. a Ledesf. dub. 33. de matr. paulo post 2. concl. Lud. Lop. 2. part. instr. de matrim. cap. 48. in solut. ad 1.* & ita intelligendi sunt *Gerson 3. par.* ubi de conf. evangel. *alphab. 67. litt. T. & Ledesf. 2. p. 4. pag. 69. a. 7. ad fin.* ubi ait utramque solemnitatem voti esse de jure positivo.

17 2. Inferunt contra 2 coroll. oppositæ sent. n. 4. propositum, in voto simplici, quo res offertur de præsenti Deo, non inveniri traditionem, sed nudam promissionem demptis votis Soc. Jesu, (de quibus nu. 15. diximus) distat autem inter ipsa, & vota de futuro, ut votum ingrediendi religionem. Quod in illis promittatur res ab eo momento implenda, ut dum promittitur castitas ac proinde ex tunc castitatis violatio est sacrilega contra votum: in his autem promittitur res in posterum offerenda, nimirum, status in quo est promittenda castitas, ac proinde fornicatio non est contra id votum, donec actu castitas Deo promittatur. Et ratio est, quia vera traditio, per quam transfertur dominum, consistere nequit absque, aliquo acceptante: ut probavi nu. 12. At Deus non acceptat se ipso, ita ut transferatur in ipsum dominum, nisi medio homine, ut probavi num. 13. idque amplius confirmatur, quia fractio talis voti solo religioni adversatur. Sed dices, fac id castitatis votum emitti in manu alicujus acceptantis, ut prælati extra religionem approbatam. Sed respondeo adhuc esse meram promissionem. Quia promissio illa non fit homini in ejus commodum, sed Deo in ejus honorem, At prælatus ille non habet potestatem acceptandi a Deo. Et hoc corollarium docent Auctores tertiæ sententiæ num. 7. citati.

3. Deducunt contra tertium corollarium oppositæ sententiæ relatum nu. 5. non tanti vinculi esse ex natura ipsa rei, votum simplex, quanti solemne. Sicut nec in ceteris contractibus sunt ejusdem vinculi, simplex promissio, & traditio. Simplex enim promissio non privat dominio promittentem, nec efficit ut invalida sit donatio alteri facta: quod secus se habet in traditione. Quod est conforme tertiæ sententiæ nu. 7. propositæ, illudque amplius probabimus disp. seq. 18

4. Deducunt contra 4. corollarium nu. 6. citatum, differre 19 specie votum simplex, & solemne, quod promissio & traditio, actus sint specie diversi, ac suapte natura longe diversos effectus producant, sicut sponsalia, & matrim. Sic docent *Sotus lib. 7. de justit. q. 2. art. 5. in solut. ad 1. Aragon. 2. 2. q. 88. art 7 ad fin. Manuel 1. tom. sum. 2. edit. c. 53. nu. 5.* & colligitur est *D. Thom. 4. d. 38. q. 1. art. 2. q. unic. 2. corp.* ubi ajt distingui hæc vota, sicut sensitivum, & vegetativum.

5. Explicant, qualiter in voto solemni inveniatur ratio generica vel, nempe, promissio, & specifica, per quam constituitur in propria specie, solemnis, nimirum traditio. Quod explicuit *Petr. de Ledesf. de matr. q 53. art. 2. dub. un. in solut. ad 6.* dicens esse traditionem respectu corporis & voluntatis; ac potentiæ possidendi, quæ actu sunt in homine, sunt radices quædam operationum sequentium, ac ipsas virtute continent: promissionem vero respectu operationum sequentium. Quia traditio proprie, & in rigore nequit esse, nisi eorum quæ actu sunt. At potest etiam dici traditio respectu operationum, quatenus virtute traduntur, traditis earum principiis & radicibus. Quare merito appellatur professio; traditio totius hominis, si quidem actu per illam traduntur Deo radices omnium operationum, & in virtute operationes ab illis procedentes. Nec hæ rationes sibi invicem adversantur, cum sint respectu diversorum, promittuntur enim operationes, & traduntur radices. 20

6. Deducitur decisio ejus quæstionis valde controversæ inter DD. an votum castitatis in religione approbata in manu prælati illius emissum, non promissis paupertate, & obedientia, sit solemne, ac per consequens per illud dirimatur matr. subsequens? Affirmant plerique ex Jurisperitis, quod in aliquibus religionibus emittatur professio, sola obedientia secundum regulam promissa. Item, quia *c. fin. qui cleric. vel vovent.* decernitur validam esse professionem, ac per eam dissolvi matr. in qua adjectum est pactum, ut profitens manet in propria domo, ac propria substantia retenta. Ita sentiunt *gloss. c. Ex parte tua, v. Propositum, de convers. conjug. & ibi Innoc. n. unic. super v. Consumandum. Ant. c. Rursus, n. 8. qui cler. vel vov. & ibi Præpos. n. 13. vers. Item modus solemnizandi votum est, quando quis promittit paupertatem: & ibi Alex. de Nevo, n. 21. Anton. Cuc lib. 5. instit. major. t. 12. num. 23.* Addunt *Innoc. & Alex. de Nevo* non sufficere id votum ad dirimendum matrim. ratum præcedens, nisi tria religionis substantialia vota præmittantur. At dicendum est, id votum non esse solemne, nec per illud dirimi matr. subsequens. Quia *c. un. de voto in 6.* petitur ad id professionem emitti in religione approbata, atque itaut sit talis, quæ vere constituat religiosum. Qualis non est hæc, ut bene docent *Ang. v. Profes. nu. 1. & ibi Tab. q. 1. n. 2. Armill. n. 1. Sylv. Relig. 3. q. 18.* & constat, quia religionis essentia petit tria substantialia vota emitti, ut probavi n. 8. & 9. Et ideo hanc partem tuetur *Abbas, d. c. Rursus, in fin.* Nec obstant argumenta contraria, quia in eo voto obedientiæ secundum regulam clauduntur vota paupertatis, & castitatis, quæ in ea regula continentur. Nec obstat similiter *c. fin. qui cler. vel vov.* quia quamvis in ejus intelligentia multum elaborent Jurisperiti: at communis interpretandi modus est, in ea professione adfuisse votum obedientiæ, erat enim ea femina profitens habitatura in propria domo sub Abbatis obedientia: votum quoque paupertatis quia reservatio propriæ substantiæ erat quoad solum usum de licentia Abbatis.

7. Deducitur resolutio alterius quæst. nempe, an promissio 22 trium votorum facta in religione approbata, & acceptata per superiorem illius, non obligando se illi religioni, sed religioni in genere, habeat vim voti solemnis dirimentis matr. subsequens, an solius simplicis? Et quidem communis Doctorum sententia affirmat. Ducitur per *cap. Constitutionem, de reg. in 6.* ubi decid. tur professionem factam tacite ante finitum novitiatus annum, per delationem habitus professorum triduo, obligare profitentem, non illi religioni speciali, cujus habitus est susceptus, sed religioni cuicumque. Atque ita sentiunt *Goffred. summ. tit. de regul. num. 12. & Hosi. summ. eo tit. num. 8. vers. Sed quid si ingressus, & tit. Qui cler. vel vov. fin. Joan. Andr. cap. Consul. num. 7. de regul. & d. c. Constit. nu. 2. & ibi Anchar. num. 2. notab. 4. Franc. n. 4. Domin. ibi §. In aliis, nu. 9. Ant. c. Rursus n. 8. qui cleric. vel vov. Abb. c. Cum virum, in fin. de regul. Palud. 4. d. 32. q. 3. a. 5. n. 33. 34. Rosel. v. Novitius, num. 19. Guillel. de Monte Lauduno repetit. in clem. unic. n. 8. de consang. Gact. repet. c. Ad limina 30. q. 1. § 4. n. 343. q. 127.* At dicendum est non habere vim voti solemnis dirimentis matr. sed vim voti simplicis obligantis religioni in genere (intellige ante Trident. & sic intelligitur *id cap. Constitut.* post *Trid. sess. 25. de regul. cap. 15.* Nullam vim etiam voti simplicis habet professio expresse facta, nedum tacite, ante annum novitiatus expletum: ut ibi expresse decernitur.) Et ratio hujus sententiæ est, quod professio sit contractus mutuus, quo religiosus monasterio, & hoc illi obligatur, (ut probavimus num. 12.) cum nulla igitur religio ei obligetur, ea professio nullius religionis approbatæ potuit esse: quod ad valorem voti solemnis dirimentis matrim. petitur *c. un. de voto in 6.* Et ideo hanc sent. amplectuntur *Calder. cons. 26. de regul. Angel. v. Professf. num. 1. & 2. & v. Novitius, n. 14.* ubi *Armil. nu. 9. Sylvest. Religio 3. q. 5. & 18. Tabiena v. Novitius, q. 6. nu. 7. Nav. comment. 2. de regul. num. 5. corol. 4. & comment. 3. nu. 44. Ant. Cucus lib. 5. instit. major. to. 12. nu. 23. Azor. lib. 12. instit. moralium, c. 4. q. 5. fin.*

Ultimo infertur, quid dicendum sit de votis Beatarum, 23 & aliquorum Fratrum D. Dominici, & tertii Ordinis D. Francisci, Eremitarum, Equitum ordinum militarium: an sint solemnia, ac proinde sufficientia ad dirimendum matrimonium? De qua re egi lib. 2. disp. 18. num. 4. 5. 7. 8. Consulantur ibi dicta.

Sed ut dixi n. 7. in fine, nullatenus hæc sent. placet, quia 24 minus bene constat cum testimoniis Pontificum, & minus bene defendit constitutionem Greg. XIII. nu. 2. allegatam, & quod juxta illam dicitur nu. 8. circa finem, pugnare videtur directe cum ea constitutione definiente illos, qui retento dominio vota post biennium simplicia emittunt, esse proprie, & vere religiosos, non secus atque ipsos professos, quod verum non esset, si natura status religiosi id prohiberet, ut nullum reservaretur dominium: præterea quod nu 11. asserit, prædicta sent. 3. esse duplicem traditionem, alteram perfectissimam, alteram autem minus perfectam: pugnare etiam videtur cum dicta constitutione Gregor. XIII. quia hæc traditionum diversitas, manifestam traditionum diversitatem specificam denotat, quia per earum alteram professus privatur ex natura rei quodam corporis dominio, quo non privatur non professus: quod si hujusmodi traditiones essentialiter differant, palam fit essentiam status religiosi, quæ per traditionem completur, essentialiter imperfectionem esse; & diversam in iis Soc. Jesu religiosis, qui sola vota simplicia emittunt: quos tamen dicta constitutio Gregor. XIII. definit vere, & proprie esse religiosos non secus atque professos cujusque religionis: tandem quia male prædicta explicat sententia, nu. 16. *decretum Bonif. cap. un. de voto in 6.* asserentis solemnitatem voti esse de solo jure Ecclesiastico inventam, esse intelligendum de sola solemnitate accidentali, & non de essentiali, quod responsum aperte adversatur definitioni Gregor. XIII. in dicta constitutione, qui dum refert errorem eorum, qui male interpretati fuerant priorem ipsius constitutionem, & dixerant eos, qui non sunt professi per vota solemnia, non esse vere religiosos, ait eos id dixisse non considerantes voti solemnitatem sola Ecclesiæ constitutione inventam esse: at illi Theologi, contra quos Pontifex loquebatur, satis consideraverant solemnitatem voti accidentalem esse ab Ecclesia inventam, atque id ad decretum Bonifacii responderat, quod decretum illi sibi in suis scriptis objecerant, atque horum responsum Gregor. XIII. vidit in eisdem scriptis; ergo constitutio Gregor. XIII. de solemnitate etiam essentiali intelligenda est, atque eodem Gregor. XIII. interprete decretum Bonifacii de illa eadem essentiali solemnitate intelligi debet, & ex iis patet solutio ad argumenta contraria proposita, num. 15. pro 3. sentent. quam reprobavimus, cum ex his, & dictis num. 2. constet ejus fundamenta non esse solida. Sextum tamen, septimum, & ultimum corollarium adducta num. 21. 22. & 23. ut sunt verissima, ita juxta omnem sentent. amplectenda sunt.

DISPUTATIO XXVI.

Quo jure votum solemne in professione religionis emissum, matrimonii contractum postea initum dirimat?

SUMMARIUM.

Matrimonium subsequens est irritum, post religionis professionem, num. 1.
Refertur sententia asserens id esse ex jure Ecclesiastico, 2.
Refertur alia sententia, 3.
Proponitur sententia Auctoris, 4.
Solvuntur argumenta, 5.

1 IN hac disp. illud certissima fide tenendum, præmittendum est, nimirum, matr. subsequens solemnem religionis professionem esse irritum. Sic enim definitur in *Concil. Tolet. I. cap. 16. & Tolet. IV. can. 51. Tolet. VIII. can. 6. Chalced. can. 6. Forojul. can. 2. Turon. II. can. 16. Tribur. can. 23. & a Siricio Pontifice Ep. 1. c. 6. Innoc. I. Ep. 2. c. 12. & 13. Gelas. I. Ep. 1. c. 22. & 23. Greg. I. l. 1. Ep. 40. Alex. III.* & refertur *c. Meminimus, qui cler. vel vov. Innoc. III.* & refertur *c. fin. eod. tit. Bonif. VIII.* & refertur *c. un. de voto, in 6.* & novissime veritas hæc definita est *in Trid. sess. 24 de matrim. can. 9.* & eamdem veritatem docuere SS. Patres, *D. Cyprian. lib. 1. Ep. 11. ad Pompon. D. Basilius lib. de virginit. paulo ultra medium D. Ambr. lib. ad virginem lapsam c. 5. D. Chrysost. Epist. 6. ad Theodor. D. Hieron. lib. 1. in Jovinian.* Idque latissime adversus hæreticos nostræ tempestatis, eorum rationibus confutatis, defendit *Bellarm. in suis controversiis, lib. 2. de Monachis, a. c. 22.* & convenientissimum quidem est, quod religiosi statu imperfectiori relicto, ad perfectiorem transeant, magna deliberatione præmissa, & annua probatione, ac publice populo spectante se Deo per vota consecrarint: æquum igitur fuit, ut saltem Ecclesia providerit eos non posse valide matr. postea inire, ne daretur ansa descendendi ad statum imperfectiorem, & ex priori fide violata, scandala pullularent.

Difficultas autem non modica est, quo jure id matrimonium 2 sit irritum? Quidam enim existimant solo jure Ecclesiast. id statutum esse. Ducuntur 1. quod nulla sit ratio cogens affirmare id jure naturæ inductum esse. Quia traditio rei vel personæ ex justitia descendens, est alterius rationis ab ea, quæ ex religione existit, neque hæ duæ traditiones suapte natura repugnant: nec una alteram expellit, ut manifeste constat. Conjugatus enim potest de licentia alterius conjugis valide profiteri: & sine licentia, altero adulterante; ut infra late declarabimus; & tamen non dissolvitur prior traditio, cum vinculum matrimonii perseveret. Ergo ex eo quod religionis professio consistat in traditione, non sumitur efficax ratio ad concludendum traditionem postea factam per contractum matrimonii esse irritam. Et confir. nam servitus, & matr. simul consistunt, cum tamen servus sit prius domino traditus, & sub ejus possessione. Traditiones igitur diversæ rationis simul stant. 2. quia manente eadem prorsus voti solemnitate, potest Ecclesia statuere, ne dirimat matrimonium subsequens. Cum enim solus quidam voti solemnis effectus impediatur, nil prorsus essentiæ, & solemnitatis, qua nunc gaudet, amittet. 3. quia antiquitus professio non dirimebat matr. subsequens ut constat, quia *D. Cyprian. Epistola 11. ad Pomponium*, rogatus, de virginibus, quæ post castitatis votum nupserant, quid faciendum esset, non eas separari præcepit, sed publicam agere pœnitentiam. Et *D. August. lib. 9. de bono viduitatis, cap. 9. 10. & 11.* probat faltam esse sent. dicentium non esse vera conjugia virginum post castitatis votum nubentium. Et *in Concilio Ancyrano, c. 19.* & refertur, *c. Quoniquot, 27. q. 1. & Elibertino, canon. 13.* & refertur *cap. Virgines, 27. q. 1. & Chalcedonensi, canone 15.* & refertur *cap. si qua virgo, 27. q 1.* virginibus sacris, quæ post votum continentiæ nubunt, pœna indicitur, nec tamen a nuptiis seperari jubentur. Signum igitur est, eo tempore nondum legem Ecclesiast. editam esse, irritantem ea matr. atque ita attento jure naturali, & divino valida fuisse. Quarto, quia votum solemne non irritat matrimonium subsequens, qua ratione votum est, alias omne votum irritaret: sed qua ratione est solemne. Cum igitur solemnitas sit ex jure Ecclesiastico, *cap. unic. de voto, in 6.* solo jure Ecclesiastico irritabit. Quinto, quia nec sola traditio, nec sola extrinseca cæremonia ab Ecclesia statuta, & ejus acceptatio, constituunt votum solemne, sed sunt duæ causæ partiales, & traditio habet rationem generis & materiæ, cetera autem differentiæ, & formæ: sed res non a genere & materia, sed a differentia, & forma, sortitur proprietates, ut homo esse risibilis. Ergo votum non dicetur solemne a traditione, sed ab acceptatione, & cæremonia Ecclesiæ, & ab illa sortietur proprietatem dirimendi matr. 6. quia in votis simplicibus biennii Soc. Jesu est vera traditio, & acceptatio: ut nuper definivit Greg. XIII. in Bulla, quæ incipit, *Ascendente Domino*, & tamen ea vota non irritant matr. subsequens jure nat. præ, sed virtute illius constitutionis Greg. XIII. irritantis. Non igitur quod votum solemne constat in traditione, arguit irritari per illud matrim. Tandem hanc sent. probant omnia argum. illata disp. præced. nu. 2. ad probandum, votum solemne fecerni a simplici, sola Ecclesiæ irritantis matr. postea initum constitutione. Et ideo hanc sent. tuentur, *gloss. cap. 1. verb. Sub testimon. ad fin 27. quæst. 1. & c. Rursui, quia cler. vel vov. verb. Apud Deum*, ubi *Joan. Andr. num. 8. Hostiens. num. 2. Ant. nu. 7. Abbas n. 6. Card num. 3. q. 2. Anchar. num. 3. Henric. num. 3. & 7. Alex. de Nevo n. 10. & 11. & c. Meminimus, n. 3. eod. tit. Idem Hostiens. in sum. t. Qui clerici, vel vovent. 5. Qui vovens, num. 4. vers. Tu dicas, Goffred. sum. eo tit. num. 8. glos. cap. un. in casus positione, notab. 1. de voto, in 6. & ibi Jo. Andr. num. 1. Archid. n. 2. Domin. n. 10. Anchar. n. 2. notab. 3. Franc. n. 1. notab. 2. idem Archid. d. c. fin. n. 1. & 2. 27. d. & c. 1. n. 4. & 6. 27. q. 1. Card. clem. un. n. 19. q. 24. de consang. Astens. sum. 2. p. l. 8. t. 19. a. un. q. 1. Rosel. v. v. Impedim. imped. 4. n. 2. Angelus matrim. 3. imped. 5. init. Brunel. de sponsalib. concl. 31. n. 1. & 2. Gaeta repet. cap. Ad limina, 30. q. 1. § 4. q. 194. n. 464. & 465.* Et ex Theologis, *Scotus 4. d 38. q. un. ad fi.* ubi *Richar. d. 7. q. 2. in solut. ad 3. in fi. Palud. ibi q. 4. a. 4. ad fi. n. 54. & concl. 11. n. 49. Suppl. Gabr. quæst un. a. 3. §. Circa nunc dicta, occurrunt dubia, post dub. 3. concl. 4. Albert. Pighius in suis controv. contr. 15. ad fi. Gandavo quod lib. 5. q. 38. Herveus quodl. 11. q. 25. Gerson. 1. p. de reg. mor. alib. tract. de matrim. alphab. 25. lit. I. Altisiod. l. 3. summ. tr. 28. c. 2. q. 3. quæ incipit De simplici voto, vers. Propter hoc dicimus. Abul. c. 30. Num. q. 59 in solut. ad 4. Cajet. 2. 2. q. 88. a. 7. dub. 1. §. Quantum vero ad secundum. Alvar. Pelagius de planctu Eccl. l. 1. art. 46. Guillielm. de Rubion. 4. d 38. q. 1. a. 1. & ibi Gullel. Borillong. q. un. a. 2. concl. 1. in fi. Nicol. de Orbellis ibi q. 1. § 13. Palacios ibi disp. 2. concl. 3 Ovand. ibi q un. propos. 16. Nicol. de Nisa super 4 sent. p. 6. tract. 3. de matr. q. 7. concl. 2. Vernerus 1. p. speculi, a. 31. concl. un. Metina de sacror. hominum contin. l. 4. contr. 7. cap. 22. & multis seqq.* præcipue *c. 31. paulo post princ. Stunica de voto, q. 6.*